

F.K. 29,4.

(X202 M33)

Yb  
2743

De  
**INCREMENTIS HALÆ  
MAGDEBURGICÆ**

sub sceptro

*POTENTISSIMI ELECTORIS  
BRANDENBURGICI,*

**FRIDERICI III.**

PANEGYRICUS

**CHRISTOPH. ANDR. SCHUBARTI, D.**

PROFESS. JUR. EXTRAORD.

habitus Non. Quintil. MDC XCVIL



30. JULI 1610  
VII. ANNO D. M. C. X. V. I.

22. NOV. 1610  
VII. ANNO D. M. C. X. V. I.

1610  
VII. ANNO D. M. C. X. V. I.





A n a j o.

*Serenissimi Principis,*

**FRIDERICI WILHELCMI,  
HEREDIS ELECTORATUS BRAN-  
DENBURGICI,  
RECTORIS HUJUS FRIDERICIANÆ  
MAGNIFICENTISSIMI,  
PRORECTOR MAGNIFICE,  
AUDITORES COETERI EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRES,  
MULTISQVE ALIIS TITULIS HONORIFICE  
APPELLANDI,**



Ta profecto sese res habet: Prisco-  
rum labor improbus & sudor cir-  
ca opera producenda stupenda  
minime otiosus fuit. Sudarunt  
certe circa Cosrois regiam, Minoi  
Labyrinthus, aureā Neronis domum, Amphi-  
theatrum Pompeji, Doriphori statuam, sex-  
centa opera mirabilia alia. Stupebant Alexan-  
drum Apellis, Parrhasii linteum, uvas Zeuxi-  
dis, Coam Venerem Praxitelis, Minervæ cly-  
peum, incisa soleæ Lapitharuin cum Centau-  
ris prælia, orbis & artis portenta alia. Mira-  
bantur cum primis miracula Mundi septem, mu-  
A ros

ros Babylonis, Mausoli sepulchrum, Phariam turrim, Ephesinæ Dianæ templum, Colossum Solis Rhodium, Ægypti Pyramides, simulacrum Jovis a Phidia in cœlos eductum. Sed nec nostris temporibus labor & magnificentia Magnatum usque cessavit; Nec Martis tantum facinora immortale multis nomen peperere, sed & admiranda artis opera. Ecquis non miratur Ludovici, Regis Galliæ moderni, opera plane obstupescenda? Machinas hydraulicas & inter alia Isthmum inter Oceanum & mare mediterraneum perfoſſum, & Canalem mediantibus cataractis duodecim factum? Vivit adhuc & æternum vivet FRIDERICUS WILHELMUS, cui nomen *Magni* facta indidere magna. Vivit & vivet in sobole, FRIDERICO III. paternarum virtutum æmulo & ex affe herede. Pater & filius perfectionem una eademque a nostris persona habentur. Cesset hic fictio, quando veritas adest in his Duumviris & arte pariter & Marte claris. Et Pater Academias erexit & Filius. Et Pater cataractas extrui curavit & Filius. Et Pater navigationes induxit & Filius. Et Pater commercia stabilivit & Filius. Et Pater suscep̄tis extorribus terras suas adauxit & Filius. Et Pater urbium conditor cluit & Filius. Filius sic non minor Patre. Novenne ejus vix imperium; Et tantum operum gessit, ut, si quis multitudinem & magnitudinem cum annis conferat, ætatem ultra putet. Et neu longius, neu ad præterita abeam, sed intra pomœria patriæ Halæ, & circa præsentia subsistam,

stam , ecquis , quæso , inficias ibit , hanc ipsam  
urbem sub sceptro sceptrigeri Brenni , FRIDERI-  
CI III. incrementa cepisse magna? Patimini ,  
*Viri ornatisimi*, ut ex innumeris beneficiis, qui-  
bus potentissimus Pater patriæ urbem nostram  
maestat clementissime , septem saltem enumera-  
rem , quæ septem instar testium testabuntur  
vera esse ea , quæ modo vere, non blande, nec  
oratorie dico ; Patimini , inquam , *Viri* , & me  
dicturum benevole audite.

Sordida *Hala ad Salam* initia habuit, non  
tantum quod sordida sus sordes suas abluens  
scaturiginem salinarum invenisse & occasio-  
nem urbi condendæ dedisse dicitur; sed & quod  
pagus prius vilius fuit, & inde subinde in vicum,  
mox in urbem excrevit. Ab urbe condita se-  
ptem secula numerantur, per quæ sub pedo &  
infulis quinquaginta Archiepiscoporum Ma-  
gdeburgensium stetit & floruit, donec tandem, fa-  
tis serenis ita disponentibus, serena *sceptra Sce-  
ptrigeri serenissimi Brandenburgici* adoraret.  
Res notatu digna! Quot annos computat Ro-  
ma a Romulo, primo Rege, in primum Cæsa-  
farem Augustum, tot Hala ab Adelberto, Ar-  
chipræsulūm primo, in primum *Ducem Magde-  
burgensem*, Electorem FRIDERICUM WILHEL-  
MUM, vere *Augustum*. Decimum septimum  
ecce! labebatur seculum, cum altius paulo sur-  
gere videretur sub moderamine moderni Elec-  
toris secundi *Ducis Magdeburgensis*, FRIDERI-  
CI III. primi FRIDERICI WILHELMI filii. Nove-  
rat Princeps optimus maximus, mundum uti  
A 2 sole,

L



sole , ita nec sale carere posse. Merebatur *sa-*  
*lis*, divinissimi munera, dignitas & præstantia,  
ut Princeps curam ejusdem ageret. Noverat  
cum primis *Salinarum Hallensium* ubertatem  
& exundantiam copiosissimam. Viderat , &  
cum morsu quodam doloris viderat, hoc ipsum  
DEI donum haetenus magna ex parte inutiliter  
profusum & impensis insuper magnis deperdi-  
tum eo , quod ob defectum commercii non o-  
mne poterat exportari. Rem hinc pro dere-  
lieto habitam amplius deperdi nolebat, sed quā  
primum gubernacula adeptus, jure superiorita-  
tis, jure regalium & jure dominii directi, id pro-  
vide curabat , ut quicquid superflui esset, cum  
suis Electoralibus bonis salariis, in casis suis suo  
nomine coqueretur, & in terras Marchicas, quæ  
hucusque Luneburgico sale alebantur, expor-  
taretur; Ut sic salinatoribus Hallensibus uberi-  
or fructus commercii salis cum Saxonibus ac-  
tresceret ; Ut omnis exinde civitas majori in-  
surgeret incremento. Haud tamen facile di-  
ctu! Res hæc salutifera & utile universale com-  
plectens quot quantasque ab initio contradic-  
tiones ac difficultates passa! Obstare videban-  
tur, sed videbantur, statuta topica, quæ Princi-  
pi salis coctionem & commercium prohiberent,  
& civibus solitarie relinquerent. Præprimis  
Archiepiscopi Ernesti constitutio prætexeba-  
tur, quam se servatuos singuli successores jura-  
to promittebant. In qua diserte præcipitur, ne  
Archipræfulis salinæ aliis , quam civibus Hal-  
lensibus concederentur. Verum enim vero præ-  
ter-

terquam quod salinæ dudum inter regalia Principis relatæ, noster quoque Princeps non jure Archiepiscoporum, non beneficio Capituli, sed jure singulari, utpote a divo Patre, successore singulari, in ipsum transmisso, salinas possidet. Qui igitur Archiepiscoporum placitis, seu conventiones, seu constitutiones voces, esset alligatus? Antecessores jurejurando tenebantur. Deest jusjurandum, deest alia obligandi ratio in nostro Serenissimo. Adhæc inspice probe Ernestinam, qui contradicis. Loquitur tantum de successoribus Archipræfulibus; Neq; ullo hisce verbo abdicat Dominicis in casis conquendi libertatem. Neq; renunciatio juris intelligitur, nisi expressa. Imo quicquid sit, vel ipsi, ubi pleniorē ex hoc viderint civitatis utilitatem, & præter Saxoniam valuerint in alias vel proprias provincias salem mittere, superioritatis vi ejusmodi statutum emendare potuerint. Quidni Elector Brandenburgicus? Cui & ipsas Deus leges subjecit. Hujus adeo summa potestas absoluta, non limitata, qualis Archiepiscoporum. Hujus sunt Fontes, non nostrūm. Nobis dat feudo non integros eos, non omne, quod scatent, sed quantum sua partitione coquendo opus habemus. Superfluum est & manet ipsius. Quid profundi debet? Quidni percipi & coqui? quidni ab ipso Domino? ab ipso Principe, cuius est? Quod tibi non nocet, alii autem prodest, omnino concedendum, & quidem privato, multo magis Principi; Imo

B

quam

quam maxime, quum non solum nullo nobis  
sit dispendio, sed compendio potius sat lucu-  
lento: Tum fisci reditus in subditos redundant;  
Tum ubi sal Electoralis non in Saxonicas ditio-  
nes, sed Marchicas aliasque Brandenburgicas  
tantummodo devehitur, salvo omni nobis cum  
Saxonibus commercio. Adeo quod olim in tre-  
decim cacabis Dominicis coquebatur, simul-  
que in Saxoniam vendebatur, nostris nunc ac-  
crescit. Ecce propriæ saluti oblocutor fuisti!  
Experimento habemus, & singulis & univer-  
sis hanc rem usque profuisse. Ex quo enim (no-  
nus jam labitur annus) sua coetio salis, die Selbst-  
Versiedung / ordinata a gloriosissimo Electore  
fuit, certe viginti quatuor septimanas integras  
per annum opus nostræ coctionis processit,  
qvum ante ad summum sedecim hebdomas  
duraverit. Quantus inde publicæ rei quæstus!  
Profecto lucrum duplicatum, pensiones in tan-  
tum auctæ, ut vel una cotyle & pars salinarum  
in fonte Teutonico, eine Pfanne Deutsch plus se-  
decim imperialibus, in altero fonte eine Pf.  
Gutjahre plus undecim, in tertio ein Quart Me-  
triß plus quadraginta duobus, in quarto ein  
Rosel Hadeborn plus octoginta duobus, quod  
non ultra semiseculum, proximis annis proprie-  
tario adjecerit. Atat hæc satis! Notoria alle-  
gasse sufficit.

II. Sed *receptio quoque Gallorum* (*Palatinos*  
aliosque belli injuria sedibus suis pulsos ut tace-  
am) ob religionem extorrium & civitatis jus  
ipsis donatum, *Hala*, ingens tibi incrementum  
de-

dedit & porro dabit, non modo ut civium copia adaugereris, verum etiam ut per eosdem fabricæ & artes manuariæ, adeoque magis ac magis *commercia* in te stabilirentur. Indignabundi certe legimus, Germanos tam occæcatoſ & ſalutis ſuæ & commodorum prodigosusque eſſe, ut exoticas Gallorum cumprimis merces admirentur, domeſticas vero nauſeent. Nefas! Ex foliſ holoſericis, quas Germania ex Gallia aſportari curavit, millions imperialium decem quotannis Rex Gallorum lucrabatur. Lucrum hoc iſum ut *Pater patriæ* modernus intra diſtiones ſuas ac terras retineret & conſervaret, ecce! uſum talium fabricarum paſſim iſtituit, & fabricenſes Gallos alit, a quibus noſtrates ejuscemodi artes paulatim addiſcunt, ut, licet Gallos quondam cupidio incesseret emigrandi & lares patrios repetendi, ars tamen inter nos permaneat, & ad natos & natorum natos propagetur. Sudant hinc ſubſellia & fabricæ fabricenſium, & merces, quas im‐mensis olim ſumtibus ex Gallia advehi & importari oportebat, in urbe patria conficiuntur. Nec minus tuin vicini, tum peregrini ſuas iisdem tabernas mercatorias replent, multumque noſtratisbus preium pendunt.

Cœterum plusquam paterna *Patris patriæ* ſollicitudo ipsa viſcera terræ penetrat, cum *saxa*, Saxonicæ ſuæ terræ opes, tum *carbones fossiles*, Stein-Kohlen circa hanc urbem erui curans, quibus & ædes noſtras, luteas haſtenus, lateritias reddit, & penuriam lignorum

B 2

op-

VI

V



oppido refarcit. Sunt equidem carbones fossiles munus DEI & naturae egregium, varium omnino usum præbentes. Fabri ferrarii & ærarii ipsis carbonum , quod hisce multo diutius durant, multoque fortius urunt, vice utuntur. Eodem bitumine alii calcem coqvunt, alii caldaria, in quibus hyeme degunt vitam, calefaciunt. Maxime eorum auxilio sal coquitur, quod alias ingentibus impensis ligno fiebat. Ecquis non cernit utilitatem exinde in nostras terras, in nostram potissimum urbem redundantem, præprimis cum raritas & caritas lignorum abunde constet?

IV. Surgit & tibi, *Hala*, hinc illud decus, ut dum saxa effodiuntur, saxis & lapidibus extrarisi, & *ædificia* ex saxis & lateribus surgant. Centum prope numerare licet ædes, quas sub *sceptro Brennico moderno* ædificatas vidimus, sic ut fere intra muros area nulla detur. Nec dum cessat labor. Nec tuguria excitantur, sed palatia Attalica & Italica, qualia antiquitas nunquam, qualia alia vix terra vidi. Insuper antiquæ domus, quæ novæ non exsurgunt, ingeniose disponuntur, inconcinna veteri forma intrinseca evulsa. Et cum ædes paucis abhinc annis sat vili pretio venderentur, nunc certe quadruplo cariores emuntur.

V. Properandum mihi est, *Auditores*, & reliqua urbis patriæ incrementa recitanda, quæ inter occurrit structura *cataractarum*, sola multum, ut vere dico, ad admirationem *Principis conferens*. Enimvero citra negotiationem ci-

IV

vitatem bene beateque non posse habitari , te-  
stem summæ prudentiæ & autoritatis apud  
Græcos Platonem Callistratus *l. 2. ff. de nund.*  
allegat. Et quicquid natura cuilibet terræ de-  
negat , pensatur negotiatione ac mercatura.  
Mercatura, inquit Cicero, si magna & copiosa,  
multa undique apportans, multisque sine vani-  
tate impertiens, non est vituperanda. Hæc ubi  
viget , ibi calent artes opificum, ibi uberior est  
quæstus pauperum, & honestissimarum artium  
studia efflorescunt, cum unusquisque non leve  
sui laboris pretium capiat. Ast commercia si-  
ne *navigazione* exerceri nequeunt, quippe quæ  
cum utilis , tum summe necessaria est , & ad  
multiplices res facilius & minore impensa  
transferendas maxume conveniens ; Hinc ea  
res movit *Patrem patriæ*, ut, dum commercia  
hic locorum & in hac urbe promoveri cupit,  
media quoque ad eum finem assequendum  
prudentissimo quo pollet consilio excogita-  
verit. Hinc summo labore regiisque sumptu-  
bus *sex cataractas* in *Sala ad Halam nostram*,  
*Trotam*, *Wettinum*, *Rotenburgum*, *Alslebiam*  
& *Calebiam* extruxit, *septimamq; necessariam*  
a Principe Anhaltino, VICTORE AMADEO,  
ejus in territorio, *Bernburgi* confici curavit, ac  
per easdem Salam & Albim conjunxit. Vix bi-  
ennium intercessit , & tantum (quis credat?)  
constitit opus. Opus quod Archiepiscopi se-  
mel iterumque voluere , nunquam potuere.  
Opus quod & præsens ætas demirari satis ne-  
quit, & postera vel maxime urbi huic proficu-

C                      um

um olim persentiscet. Certe his ipsis naviis  
cum Electoralis qui h̄ic coqvitur sal magna co-  
pia exportatur , tum etiam ligna , saxa atque  
carbones importantur. Quid? Quem latet no-  
strates modo velis remisque Hamburgo & Lu-  
beca revenisse, carbonibus fossilibus venditis il-  
lic, illincque exoticis mercibus reportatis?

**VI.** Nunc ad alia. Non prætereunda *edictorum*  
*Patris patriæ* utilitas ; Non omnium quidem,  
(hoc extra metam!) sed eorum saltim, quæ no-  
stram unice urbem spectant. Constat profe-  
cto (loqui cum Marco apud Ciceronem liceat!)  
ad salutem civium, civitatumque incolumentem,  
vitamque omnium quietam & beatam  
condi leges. Lege si civitas careat , ob eam  
ipsam causam , quod ea careat, pro nihilo ha-  
benda, id est , ne numeranda in bonis. *Suum*  
*cuique Symbolo est sanctissimo nostro Legisla-  
tori.* Conveniunt nomina rebus. Curæ atque  
cordi ei, præprimis DEO dari, quæ DEI. Deus un-  
de sceptrum ipsius adeo beat. Viderat piissimus  
*Princeps* pietatem passim conculcari , jam du-  
dum reverentiam Numinis supremi a plerisque  
excussam , sed & sabbatum maxime profanari  
ac violari. Quæ delicta internecino hoc bello  
& tot aliis calamitatibus concatenatis huc us-  
que luimus, utinam eluamus! Edicto itaque  
sane qvam pio impietatem hancce hactenus  
impune grassantem compescuit , in sabbati  
transgressores poena sat gravi sancita. Pa-  
riter atque insimul providentia ipsius ad per-  
sonas miserabiles (Deo gratissimum!) descendit.  
Prin-

Principi quippe & hanc curam incumbere novit , & pietatem summam esse , quæ pro paupertate facit . Circa mendicantes ad exemplum Imperatoris Justiniani in Nov. 80.c.5. prudenterissime cavit , ut læsi & læsæ corpore , aut canitie graves in hac civitate victu & amictu subleventur , deforis venientes , porrecta stipe , ad suas illico remittantur provincias . Nulos ergo mendicos per plateas (civitati alias dedecus !) habemus vagantes . Sed & id agit , ut pauperum nostrorum innocentissimi liberi in orphanotrophio , in ptochodochio alantur ; Fundamentis Christianæ religionis variisque artibus imbuantur . Sanctiones per tempus non licet referre pragmaticas alias , quibus incrementata urbis nostræ adaugere haec tenus studuit . O utinam morem omnibus omnes geramus !

Magna hæc sunt , quæ optimi Patris patriæ plusquam paternam curam ac providentiam de promovenda salute publica & singulorum hujus urbis abunde & luculenter demonstrant . Ast quo tandem istud habendum loco censetis , *Auditores* , quod sapientissimus Princeps , medios inter armorum strepitus , (res mira dictu !) Musis alibi extorribus sedem hic tutam & lætam fecerit , & , ut paucis multa , Academiam erexerit ? Urbis illius æternæ , Romanam puto , maxima incrementa unico & legum & armorū præsidio adscribit Justinianus . (Eius verba mea me facere decet , cuius vox & verba mihi posthac interpretanda erunt ! ) Secutus hoc oraculum Principale Princeps quoque no-

ster; Qua antecellit & *Sapiens* cognomen adeptus sapientia provide intendit, ut & legibus sua autoritas, & armis suum decus in te, *Hala*, constet. Opus hinc aliis plane desperatum visum aggressus. Ad omnipotentiæ , ut usque sollet, respexit adjutorium. Sic DEO autore & præfule adimplevit. Sic Palladium hoc & ancile cœlo delapsum solenni ritu , regia pompa tribus abhinc annis inaugurabatur ; Ipso natali sui Conditoris & ei natali; Et (quis major splendor?) Electorali nomine *Genitoris* sui **FRIDERICI Fridericia** fulget. Ante huc docentes potissimum eos undique delegerat & conscripserat, quos dudum & fama & meritis in rem literariam illustres & excellentes norat. Vestra , *Viri spectatissimi*, vestra, inquam, modestia os & lingvam frenat, ne in laudes vestras his in pulpitibus excurram , & Tuam apprime , *illustris Stryki*, qui unus es instar omnium , prudentiam decantem, sub cuius directione tanta hæc moles surrexit ; Præcursori quidem & adjutore excellentissimo viro , *Thomasio*, quem primum *Hala* nostra pro rostris admirata est. Quot, quæso, ex hoc Equo Trojano Heroes jam prodiere in salutem orbis literarii? Quot ex hac Musarum Palæstra egregia in singulis Facultatibus specimina , egregia scripta, quæ typis passim prostant? Plura vidimus per unicum lustrum, (quamdiu duravit primordiis annumeratis) atque alia Universitas vix per decem. Jam & ad meam tenuitatem summa serenissimi *Patris patriæ* se extendit clementia, collato in hac  
al-

alma munere *Juris Professoris extraordinarii*. Nunc quo par est ordine aggrediar. Primum omnium Imperatoris exemplar sequendum. Manus ad DEUM erigendæ, isque, ut me complecti dignaretur, invocand⁹. Cœlestis Pater, quis ego, qui dignas Tibi referam grates pro tuis erga me gratiis? Tot tantæque sunt, ut lingua haud sufficiat, etiam si non a teneris, sed de studio meo solum juridico enarrem. Tua gratia hoc ipsum ab ingressu secundavit, ut in Academia exercitatione non quinquenni Justiniane, non quadrienni ante-Justiniane, vel trienni Bœckelmanniana, sed bienni modo opus habuerim, indeque præstitis speciminibus Doctoralibus patrios lares repetere potuerim. Tua gratia post-hac hucusque bina prope lustra forum feliciter frequentavi, malæ vero causæ nulli patrocinium dedi. Tua gratia me jam ad hancce in patria cathedram, per unctum tuum, sacratissimum FRIDERICUM III. vocavit, ac studiosæ juventuti doctorem constituit. Ad sis, benignissime Jesu; ad sis. Salutare tribue incrementum & plantationi & rigationi. Omni meo labori Tu <sup>¶</sup> & <sup>¶</sup> esto. E�adet sic in nominis tui gloriam, Academiæ commodum, juventutis utilitatem faustæ ac feliciter. Secunda Tua est gratia, potentissime Elector, Nutritie hujus almæ munificentissime, qua hanc docendi juris spartam mihi publice imposuisti; qua tertium me hac ex urbe oriundum Professoria hic dignitate dignatus es. Secundæ tibi usque erunt gratiæ. Par ubi referri nequit, devota vota sufficient. Euge servet Te Deus, servet Tuum FRIDERICUM WILHELMUM, Rectorem Fridericianæ nunc quar-

D

tūm

*1000*

tum magnificentissimum. Servet, ut sub Tuis pa-  
riter & Ejus sceptris respublica literaria perfret;  
ut urbs hæc magis magisque crescat, nunquam  
decrescat. Servet Lumina & Columna Tuæ Au-  
læ, quorum consiliis artes ac scientias huc compu-  
listi, decantata *Halæ* incrementa dedisti. Exau-  
diat Immortalitas piissima omnia illa suspiria, quæ  
pro salute Tua tot myriades hominum, tot Tuæ  
provinciæ, totum Imperium Romanum quotidie  
faciunt, & cum primis nupero genethliaco **XLI.**  
devotissime fecerunt. Faxit, ut lux hæc ex opta-  
tissima Tibi, serenissime *Princeps*, toties, quoti-  
es hucusque, oriatur serena, serenisque Tua Sere-  
nitas velis natali ex terra ad nos propediem  
redeat. Jam & Vobis, *Patres conscripti*, operas  
& fidem addico. Vobis me pridem devinetum fa-  
teor, ob favorem, quo me hactenus mactastis. Eu-  
ge ultra, euge certius mihi favete, ubi Vobis nunc  
adscribor! Vos Academiæ in incrementum ser-  
vet Servator omnipotens, suaque abunde porro sa-  
pientia exornet. Tandem Vos, *Viri Juvenes*, com-  
pellandi estis, sed brevi sermone: En dextra fides-  
que! quam Vobis, si quando vultis, porrigo & of-  
fero. Hac dextra, hac fide ad latifundia JCtorum  
Vos ducam. Quod de se profert Udalricus Zafius:  
si una hoī, quæ sentio, in meos auditores intru-  
dere possem, omnia fideliter communicaturum:  
id & mihi dictum & scriptum credite. Au-  
diat Deus! Audiat fides!

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

*1077*

F.K. 29,4.

(X202 M33)

Yb  
2743

De  
**INCREMENTIS**  
**MAGDEBURG**  
sub sceptro  
*POTENTISSIMI ELE*  
*BRANDENBURG*  
**FRIDERIC**  
PANEGYRICUS  
**CHRISTOPH. ANDR. SCH**  
PROFESS. JUR. EXTRAC  
habitus Non. Quintil. MDC X

